

*Bibliothèque numérique*

**medic @**

**Duval, Jacques René - candidat /  
Chopart, François - président. - De  
aneurysmate varicoso**

**1786.**

***Paris : Typis Michaelis Lambert,  
Regii Chirurgiae Collegii  
necnon Academiae Typographi,  
viâ Cithareâ,***

***Cote : ms 2346, n°6***

D E

ANEURYSMATE VARICOSO.

T H E S E S

ANATOMICO-CHIRURGICÆ.

*QUAS, DEO JUVANTE, & Præside M. FRANCISCO CHOPART, scholarum Moderatore designato, Professore Regio, Consiliario & antiquo Academia Regiæ Chirurgiæ pro commercio litterarum extraneo Commissario, tueri conabitur JACOBUS RENATUS DUVAL, Argentomans, Artium liberalium in almâ Universitate Cadomensi Magister, nuper in scholis Chirurgiæ præcicis alumnus, & Theseos auctor.*

*Die Luna 12<sup>a</sup> mensis Junii, anno 1786, à sesqui-secundâ post meridiem ad septimam.*

P A R I S I I S,

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.

P R O A C T U P U B L I C O,

M A G I S T E R I I L A U R E A.



Typis MICHAELIS LAMBERT, Regii Chirurgiæ Collegii, necnon Academiæ Typographi, viâ Cytharæâ.

---

M. DCC. LXXXVI.



DE  
ANEURYSMATE VARICOSO  
THESES  
ANATOMICO-CHIRURGICÆ  
PROBATISSIMO VIRO,  
*REBUS IN CHIRURGICIS INCLYTO,*  
D.D. JOANNI DE LA PORTE  
ANTIQUO COLLEGI PRÆPOSITO ET QUÆSTORI,  
REGIÆ CHIRURGIÆ ACADEMIÆ CONSILIARIO,  
*IN GRATI ANIMI MEMORIAM,*  
HOS - CE LABORUM FRUCTUS  
DICAT, VOVET ET CONSECRAT  
PRO ACTU PUBLICO  
*JUS DEDITISSIMUS ALUMNUS*  
J. R. DUVAL.

Typis MICHAELIS LAMBERT, Regii Chirurgicæ  
Collegii, necnon Academiæ Typographi, viâ Cypriaci.

M DCC LXXXVI





D E

## ANEURYSMATE VARICOSO.

**T**UMOR sanguineus, qui suam ab arteriâ dilatâ, sectâ aut ruptâ originem habet, *Anevryisma* nuncupatur: quod quidem in verum, spurium, & varicosum dividitur, prout sanguis vel intra parietes arteriæ ultra modum expansos continetur, vel exundans in telam circumjacentem diffluit, aut in venam vicinam è communi vulnere transfunditur, eandemque dilatat, ac varicosam reddit. De hâc tertîâ & singulari Aneurysmatis specie, quam à se detectam, apprimè descripsit, observationibusque illustravit & confirmavit celeberrimus *Hunter* (1) tantùm dicere animus est in nostro Programmate, præmissâ descriptione vasorum anatomicâ, quæ in flexurâ cubiti lædi possunt.

(1) *Medical observations by a Society of Physicians in London, vol. 1, p. 340, vol. 2, p. 390, vol. 3, p. 110, vol. 4, p. 377 & 382.*



## EX ANATOMIA.

**ARTERIA axillaris**, cùm ad insertionem musculorum rotundi majoris, dorsique latissimi pervenit, *humeralis* seu *brachialis* dicitur; indè ad cubiti flexuram obliquè vergit. Supernè inter hos musculos & majorem pectoralem, cum venis basilicâ & brachiali, nervisque mediano & cubitali conjungitur; tùm juxta internam coraco-brachialis & bicipitis musculorum marginem, subter aponevrosim brachialem & cutem descendit; dein brachialem musculum & bicipitem interfluens, sub hoc reconditur; ibi à venâ basilicâ discedens, solam brachialem, nervumque medianum comites asservat: undè secundùm bicipitem & brachialem musculum, aponevrosi tegumentisque velata resurgit. Exindè bicipitem inter & rotundum pronatorem prolapsa, cubiti flexum assequitur, ibi modò anticè modò internè bicipitis tendinem attingit, simulque sæpius venæ seu basilicæ, seu medianæ basilicæ, aponevrosi interjectâ, firmiter subhæret.

In hocce spatio arteria brachialis multos hùc illuc ejicit ramos qui multiplicem post divisionem, cum ramulis cubiti recurrentibus varias ineunt anastomoses, & in brachium penitùs distribuuntur. Quemdam interdùm nunc in supernâ, nunc in mediâ brachii parte, adèd magnum ut trunci divisio reputari possit, ramum producit; hic haud rarò cum venâ cephalicâ junctus, aponevrosi & tegumentis obvolutus, secundùm externum brachii latus ad ejus flexuram excurrit & ibi arteria *Radialis* dicta, cubiti musculos pervadit & irrigat. Alter aliquandò, at infrequentius, eâdem ex arteriâ exurgit ramus qui inter musculos rotundum majorem & bicipitem errat; is modò subcutaneus venam basilicam allambit, modò cubitali subjectus



aponevrosi, in flexu cubiti subter musculos sese recondit.

Arteria brachialis sæpè sæpiùs duobus transversis infra articulum digiti, binos in ramos finditur; hi sunt arteriæ *Radialis* & *Ulnaris*: aliàs autem sub axillâ peragitur divisio; tunc altera internum, altera externum juxta latus brachii declinat propago: quolibet in casu, multiplici sobole anastomosique repetitâ totum aspergunt brachium.

Ad flexuram cubiti tres reperiuntur venæ, cephalica, basilica, & brachialis. Cephalica vena ad medium axillaris enascitur: tum inter musculos deltoïdem pectoralemque majorem vergens, hujusce adhesionem attingit; undè aponevrosi perfossâ, subter cutem, externum bicipitis marginem semper comitatur, & cubiti flexum assequitur: tunc bipartita duos exhibet ramos. Interior cum exteriori ramo venæ basilicæ coitionem facit; est cephalica mediana quæ modò gracilis, modò magna, nervo musculo-cutaneo connexa, aponevrosim inter & cutem jacet. Exterior autem ramus tanquam cephalica continua, ad externum cubiti & ejus flexuræ latus, subter cutem progreditur, ramulis venarum medianæ communis & ulnaris, suos antorsùm & retrorsùm emissos permiscet, & ad manum sese projicit.

È venâ axillari divisâ oriuntur basilica & brachialis; prior ceu truncus semper aponevrosim inter & tegumenta, secundùm interiùs brachii latus declinat, & cubiti flexuram petit; ibi ante arteriam vel ad illius oram procedit, & huic, aponevrosi mediante, non rarò connectitur, aded ut arteriæ pulsûs sit vena particeps. Dein truncus bipartitus exteriorem emittit propaginem: illa scilicet basilica mediana, sæpiùs arteriæ, interdùm tendini musculi bicipitis, aponevrosi interpositâ, decussatim adhæret; indè cum medianâ cephalicâ communem medianam producit, quæ in anticam partem cubiti, multâ



distributione, variâque anastomosi serpit & vagatur. Interior autem propago, *cubitalis* dicta, internè juxta cubitum descendit, & ad manum protensa dispergitur.

Hæ venæ nunquam non cutem inter & aponevrosim prolabuntur, reteque vasculosum haud parvum contextunt; profunda autem vena, nempe brachialis, quæ arteriam ejusdem nominis sectatur, & ad cubiti flexuram quadripartitò diffunditur, duos arteriæ radiales, duos etiam ulnari satellites subministrat ramos, qui multiplici inter se & cum venis subcutaneis anastomosi peractâ, palmam amplectuntur.

### E C H I R U R G I A.

VARIIS nominibus insignitur Aneurysma varicosum, vel venosum; à quibusdam *Aneurysma per anastomosis cum venâ* dicitur, à transitu sanguinis arteriæ vulneratæ in venam huic incumbentem & simul perfossam: ab aliis *varix Aneurysmaticus* vocatur, eò quòd sit tumor in venis cum corde synchronicè pulsans. Ut ut sit, quicumque de hæc Aneurysmatis specie disseruerunt, illam à venæ sectione tam infeliciter institutâ repetunt, ut venâ ex toto pertusâ pertundatur quoque subjacens arteria, & indè in venâ tumor oriatur.

Quomodò autem efformari possit hocce Aneurysma, facilè sequentia attendenti patebit. Vix phlebotomo minùs soletter in venam & in arteriam, uno ictu, adaçto, sanguis vehementer & saltuatim per venam ejicitur: cubito alligato, brevè curis venæque commune vulnus cicatrice obducitur; illud verò quod arteriæ & venæ posteriùs inflictum fuit, apertum remanet; undè quædam inter hæc duo vasa nascitur anastomosis quâ sanguis arteriosus insolitum sibi prospicit iter, & in venæ parietes tantâ vi arietat, ut varicosam & pulsantem reddat,



ficque viâ breviori cum sanguine venoso ad fontem revertatur.

In quibusdam casibus, ope levioris inflammationis coadunantur, &, ut ita dicam, conferruminantur duo vasorum vulneratorum orificia, adeò ut uno foramine inosculentur; tunc tumor Aneurysmaticus in venâ tantùm apparet, & pro canalis venosi dilatatione accipi potest. In aliis verò, & quidem rarissimis, sanguis ex arteriâ vulneratâ, si non ita detur facilis ad venam transitus, in aream textûs cellularis ambientis innititur, ipsam dilatat, & ibi parvum tumorem efformat à venâ dilatatâ vix distinguendum: *Hunter Medical. Observations, vol. 2, p. 402.*

Varia etiam discrimina reperiuntur in hâcce Aneurysmatis specie, prout sanguis arteriosus in unam aut in plures venas & earum ramos irrupit. Modò unica vena dilatur; hujus rei exemplum clar. hujusce Actûs Præses apud filiam Londini vidit, cui secta basilica tumorem in ipsâ cicatrice valdè prominentem, suprâ & infrâ latè sensim evanescentem efformabat: modò autem omnes venæ brachii dilatantur, ut patet ex observationibus celeb. *Hunter & Cleghorn*, qui variis in subjectis & basilicam & medianam & cephalicam (hanc autem postremam ad jugulum usque) distensas & varicosas viderunt; quod quidem oriri videtur à valvularum decursu.

Ut plurimum occurrit Aneurysma varicosum in brachio post sectas venas, vel basilicam, vel medianam, quæ arteriæ brachiali paulò supra hujusce bipartitionem, incumbunt: verùm licèt dictarum venarum incisio frequentiore huicce morbo causam præbeat, quandòque tamen à vulnere inflictò in aliâ quâcumque parte, ubi venæ super arterias decurrunt, observari potest.

Ex dictis, signa Aneurysmatis varicosi facilè desumuntur: statim atque ferrum è vulnere educitur, sanguis, prout magno cum impetu & saltu prorumpit, plùs minùsve difficulter coercetur, & primis instantibus, haud levem ecchymosim



exhibet. Sublatis fasciis, in loco vulneris ad magnitudinem avellanæ tumor exoritur, qui brevi temporis spatio increfcit ad statum quem semper fervaturus est; subtercutaneus videtur, circumscriptus, & si solam venam tenet, ferè oblongus, inæquali amplitudine gaudens, aut magis expansus ad locum cicatricis quàm secundùm venæ decursum; præterea pulsat arteriarum more, & sæpè tantâ donatur pulsatione, ut hæc oculo conspici queat: quin imò mollis est, prementi digito cedit, & ex toto delitescit; mox verò, ablatâ pressione, ad priorem statum resurgit; tandem cutis adnatæ color non immutatur; absunt etiam calor & dolor.

Aliis verùm & propriis signis rectiùs dignoscitur illud Aneurysma, scilicet; 1°. dilatatione præternaturali unius venæ, & quandòque venarum vicinarum quæ pariter varicosæ sunt: 2°. pulsu pulsui arteriarum synchrono, inter quem sanguis strepitum edit persimilem sibilo aeris per fissuram transeuntis, seu, juxta celeberr. *Hunter*, cum sono ultimo litteræ *R* à quibusdam in pronunciando nimis protractæ, comparandum; præter hunc pulsum, adest in tumore & in propioribus venis motus tremulus haud ægrè perspiciendus. Quæ quidem signa auctoritate summorum virorum maximè nituntur. Illustriss. *Hunter*, in hanc Aneurysmatis speciem imprimis attentus, ut de genuinâ mali naturâ certiore se redderet, in duabus ægris quas hoc morbo laborantes ipsi videre contigit, quædam experimenta coram peritis in arte Magistris, & ad annum 1773 præfente clariss. hujusce Actûs Præside instituit; hæc paucis commemorare haud supervacaneum ducimus.

Sex ante annos circiter, in sectione venæ basilicæ, arteria subjecta simul læsa fuerat, apud filiam jam memoratam ( pag. 5 ) cujus in brachio statim tumor Aneurysmaticus ad avellanæ magnitudinem ortus fuit; tum ad tres nimirum pollices extensa erat  
supra

supra & infra cubiti flexum, secundum venæ basilicæ tractum: nec mediana, nec cephalica intumescabant, dum in aliis ægris hæ venæ multò crassiores aut varicosæ redduntur: pulsatio & motus tremulus in basilicâ valdè tumidâ tactu levissimo percipiebantur, & aure admotâ, audiebatur quidam strepitus qui, arteriâ ad mediam humeri partem compressâ, omninò cessabat. Pendulo brachio, tumor longè expansus ac durior; elato, detumescibat ac mollior fiebat: repetitâ supra cubitum arteriæ compressione, prorsùs sivebat, quamvis nullus digitorum pressus in venis sursùm exerceretur; cessante verùm compressione, sanguis illicò ad basilicam tendens, illam magnoperè distendebat, licèt brachium elatum esset. Si rursùs ad locum memoratum, arteria seorsùmque venæ varicosa antea collapsæ pars superior comprimerentur, tum pedetentim renascebatur tumor; sed nec eadem amplitudine, nec eodem tenixu, nullâque pulsatione ac succussu tremulo donabatur; mox digito qui separatim venam premebat, sublato, & brachio sursùm elato, iterùm desidebat: verùm ad priorem revertebatur statum cum pulsu motuque tremulo, simul atque omnis arteriæ pressus remittebatur. Demùm ligaturâ infra tumorem venosum ità cubito injectâ, ut arteriæ pulsus ad carpum non perferiretur, peractis simul in ipsum tumorem, ab inferioribus ad superiora, levioribus & alternis compressionibus, alternatim collabebatur & recrudescibat.

Alter casus circa mulierem versatur, cui quatuordecim abhinc annis, basilica & arteria phlebotomo sectæ fuerant; brevi tempore in lucem prodiit tumor Aneurysmaticus, cujus hæc erant symptomata. Omnes cubiti venæ, & imprimis basilica, ad duos pollices supra & infra articulum valdè tumescabant. Tum sive prope locum vulneratum cubitus ligaturâ constringeretur, sive non, modò à compressione adhibitâ collabe-



bantur venæ, vix autem cessante, turgescabant; modò etiam venarum diameter minuebatur, cum arteriæ foramen obduceret premens digitus, quo remoto, expandebatur. Cubiti flexum occupabat tumefactio, & arteriæ tractum consequabatur. Hac arteria amplitudine insolitâ, pulsuque fortiori vigebat; venæ varicosæ arteriarum more vibrabantur, & sibilo ac motu tremulo afficiebantur fortiori ad locum incisum, supra & infra paulatim evanescente.

Similia & partim alia experimenta fuerunt instituta à clarissimo *Cleghorn* in juvene qui, sectâ pariter venâ basilicâ & arteriâ humerali, *varice*, ut vocat, *Aneurysmatico* corripiebatur. Tumor ad magnitudinem avellanæ primùm euectus, in posterum non increvit; venæ vicinæ etiam ultra modum erant expansæ. Pulsatio & concussio tremula cum strepitu in basilicâ manifestæ, in medianâ debiliores, omnium minimæ in cephalicâ, quæ tamen valdè tumida ad claviculam usque, varicem mentiebatur. Pendulo brachio, venæ tumefactæ longè crassiores videbantur; sublato verum eodem, tumor venarum desidebat. Pulsatio cum motu tremulo planè cessabat in cephalicâ, obscura erat in medianâ, dum interim persisteret in basilicâ. Ad brachium aure admodum, strepitus sicut & pulsationes, facillè distinguebantur, & multò faciliùs, quandò specillum ferreum, alterâ extremitate tumori incumbens, alterâ inter dentes retinebatur, vel applicabatur auri; ille quidem strepitus adèò sufflabat, ut æger in lecto jacens, cubito propè caput strato; somnum capere non posset. Digiti apice basilicam venam ad sectionis locum fortiter premente, persentiri potuit arteriæ perforatæ foramen, & præsertim saltus sanguinis ex arteriâ in venam: quâ continuatâ pressione, ita ut obruraretur foramen, & transfusio sanguinis impediretur, pulsatio in cæteris venis evanuit, illarumque diameter fuit imminuta. Si vel humeralis,

vel subclavia comprimeretur arteria, ad naturalem statum restituebantur venæ; finito verùm pressu, mox tumidiores apparebant. Demùm hoc singulare quod celeberrimum *Hunter* non effugerat, observavit *Clar. Cleghorn*, scilicet arterias supra locum affectum dilatatas & fortiùs pulsantes, infra verò debiliore pulsu donatas, & angustiores quàm in illæso lateris oppositi brachio. *Medical observ. vol. 4, pag. 110.*

His quidem observationibus & experimentis ritè perpensis, jam fat præclara datur Aneurysmatis varicosi diagnosi, ut nec pro Aneurysmate tum vero, tum spurio, nec pro varice habeatur: distinguitur enim ab Aneurysmate vero, quia sanguis intrâ parietes arteriæ contentus, ipsam dilatat, & ad tumorem extollit; à spurio differt, proptereà quòd sanguis ex arteriâ læsâ in telam cellularem effunditur, & ibi tumorem producit; cum varice demùm quæ duntaxat venæ præternaturalem offert dilationem, confundi non potest: insuper in Aneurysmate seu vero, seu spurio desunt venarum pulsus & dilatatio; in varicibus nulla occurrit pulsatio.

Quoad Aneurysmatis varicosi prognosim, si tumor non turbetur, nihil mali portendit. Etenim brevè ad certam magnitudinem increscit ultra quam ampliùs procedere non solitus est; ut in homine cui tertio die post phlebotomiam exorta fuit illius Aneurysmatis species; quæ à primis temporibus fuit tumoris magnitudo, eadem quinque annis postea perstabat, quandò clarissimum *Hunter* adiit æger. Sic quoque in muliere quam hoc malo correptam ille videbat, quatuordecim abhinc annis, hoc solum immutatum observavit, venam scilicet arteriæ incumbentem, paulò magis dilatatam. Minus igitur periculum minatur istud Aneurysma, quàm verum & spurium, quæ sæpiùs de die in diem crescunt: unicum incommodum secum affert, quòd in latus affectum lecto incumbere non possit æger, quia stupor



molestus à compressione venarum in toto brachio percipiatur.

Cùm ægotantem in vitæ discrimen non adducit Aneurysma varicosum, fidenter sibimet ipsi committendum est; caveatur modò ne compressione versùs axillam obex ponatur venoso sanguini. Si verò fortè tumor aut vena in majorem molem increfcunt, manica seu brachialis fascia laqueis illigata molliterque constricta, adhibeatur. Plena tamen hujus morbi à principiis per compressionem curatio sequenti modo tentari potest.

Primùm digiti manûs singuli fasciolâ obligantur; altera in manum & inferius brachium ad illius flexuram circumducitur; dein super densum atque quadratum pulvillum loco vulneris arteriæ impositum, duo decussantur splenia, quæ plurimis fasciæ gyris firmiter alligantur: humero quoque juxta decursum arteriæ humeralis, spissus & oblongus adnectitur pannus qui sanguinis fluxum paululùm coerceat: alia tandem, sed longior & latior fascia, ab infimo ad summum circumvolvitur brachium, quibus peractis, ægrum lecto jacentem ita collocare decet, ut brachium leviter flexum, supposito pulvinari molliùs falciatur.

Hæc vinctura nisi decem aut duodecim post diebus resolvitur, & iterùm atque iterùm adducitur usque ad perfectam morbi sanationem: interdùm vel spiritu vini, vel poscâ conspergitur brachium. Sanguinis detractio etiam repetita, diæta tenuis, corporis & animi quies non sunt omittenda. Quæ simplex & facilis curandi methodus, juxta clarum *Guattani* bene atque feliciter evenit.\*

\* Leg. Histor, 42. pag. 178. in ejus libro de Aneurysmatibus externis. Romæ, 1772.

